



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 459. An & quæ publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum censeatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

vat. 4. var. c. 26. num. 16. Menoch. vol. 3. conf. 294. num. 11. & 12. Mol. de iust. tr. 2. d. 173. vers. occasione. Sanch. L. 3. d. 26. num. 7. Castrop. cit. §. 4. num. 6. Imò si sit Concilium generale modernum, ut est Tridentinum, non sufficere clausulam derogatoriam cujuscunque Concilii, sed requiri specificam talis Concilii moderni, v.g. Tridentini, mentionem censent Sanch. Henriq. L. 7. de indulg. c. 26. num. 3. Vivald. in candelab. p. 3. c. 12. n. 12. quod tamen carere fundamento, cum omnia Concilia generalia ejusdem sint auctoritatis, ait Castrop. qui etiam n. 7. cum Claro L. 3. receptor. §. testamentum. q. 99. vers. caterum. Sarmient. L. 3. selet. c. 14. num. 7. Henriq. l. c. Covar. in Rub. de testam. p. 2. n. 19. Sanch. L. 3. d. 26. n. 7. & aliis à se cit. tradit. factas jam limitationes sic sublimitandas; nisi aliter constet de mente derogantis, eò, quòd si clarè constat, Principem velle sub verbis generalibus dicta privilegia revocare, seu eis derogare, et sunt revocata, etiamsi formam communem clausulæ derogatoriæ non servent.

2. Resp. Secundò: Quod attinet revocationem tacitam, si privilegium contrarium priori concedatur ex certa scientia & notitia prioris, hoc revocatum censetur ex ea parte, in qua est contrarium secundo; sic, si ab habente privilegium non solvendi tributum exigatur de voluntate Principis tributum, reputandum est illud exigi pro illa vice, seu pro illo anno, ac ita derogabitur privilegio quò ad istam partem, & integrum manebit pro annis sequentibus, quia derogatio est, & provide restringenda; ita Suar. l. c. c. 38. n. 6. Pont. de mat. L. 8. c. 19. §. 2. n. 17. Bonac. d. 1. q. 3. p. 8. n. 4. Castrop. n. 8. ut ait, cum communi, scientia verò & notitia prioris privilegii, quæ requiritur, ut derogatio sit libera & voluntaria. Arg. c. nonnulli. de rescriptis. c. 1. de Const. in 6. & L. Idem Ulpian. §. Sunt & alii. ff. de excusat. tutor. præsumenda est, secundum triplicem modum, quo sit dicta derogatio, nempe vel per legem aliquam generalem contrariam privilegio, vel per privilegium contrarium aliis concessum, vel per sententiam datam contra prius privilegium, quod spectat primum, si privilegium derogandum clausum est in corpore juris, illud revocatum manet tali lege universalis, quia inserta corpori juris non præsumuntur ignorata à Principe. Arg. c. 1. de Const. in 6. estque privilegium tale lex communis, lex autem communis alià lege communi contrarià abrogatur absque eo, quòd præcedentis fiat mentio, juxta L. sed & posteriores. ff. de LL. & Gl. in cit. c. 1. v. revocare. & v. nascatur. Si autem privilegium derogandum est extra corpus juris, ei non derogatur lege universalis contrarià illius mentionem non faciente, quia illius scientia utpote jus speciale & privatum non præsumitur in Principe, juxta cit. c. 1. & ita quòd ad utrumque cum communi docent Salaf. de LL. d. 17. f. 14. n. 74. Bonac. l. c. n. 15. Suar. l. c. c. 39. num. 2. juxta c. cum ordinem. de rescriptis. Quod spectat secundum modum derogationis privilegii per aliud privilegium, si prius insertum corpori juris revocatur per secundum ei contrarium, etiamsi primi mentionem non faciat, quia primum præsumitur scitum à Principe, idque sive secundum derogans sit speciale, sive generale, sive insertum corpori juris, sive non. Bonac. n. 17. Suar. l. c. Salaf. n. 75. Pont. num. 19. E contra, si prius sit extra corpus juris, nunquam ei derogatur per subsequens, nisi hoc faciat mentionem prioris, quia secundum

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. 5.

præsumitur concessum ex ignorantia prioris. cit. c. 1. Suar. n. 6. Salaf. cit. n. 74. Pont. n. 21. idque, sive utrumque sit speciale, sive primum speciale, & secundum generale, ut iidem, si tamen primum sit generale, & secundum speciale, prævalere videtur primum, si illius mentio non sit facta in secundo, tum quia semper præsumitur ignoratum eo ipso, quòd insertum non sit juri communi, cujus tantum scientia præsumitur, tum quia per primum videtur jus quæsitum privilegiato, cui non censetur Princeps velle derogare, nisi illius faciat mentionem specificam. Verum huic postremo contrarium, sive prævalere secundum non obstat priore, etsi generali, probabilius censet Castrop. n. 14. eò, quòd regula expressa in jure sit; generi derogari per speciem, præsertim si species subsequatur. Reg. 44. de Reg. Jur. in 6. Suar. Bonac. Pont. apud Castrop. modò tamen privilegiatus virtute privilegii acquisiverit jus in re, circa quam conceditur secundum privilegium. Quid verò respondeat Castrop. ad rationes pro opposito, vide apud illum à num. 15. quod spectat ad tertium modum derogandi privilegio per sententiam privilegio contrariam revocari illud per eam, si lata ab eo, qui privilegium revocare potest, tenent Azor. L. 9. c. 22. q. Bonac. l. c. §. 3. n. 16. Salaf. d. 10. f. 14. n. 72. Castrop. n. 16. eò, quòd sententia æquiparetur juri & legi, sed jure & lege contrarià derogatur privilegium, modò tamen sententia sit iusta, tunc autem revocatur per sententiam, quando privatur quis eo in penam delicti. De quo plura vide apud Castrop. num. 17.

Quæst. 459. An & quæ publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum censeatur?

1. Resp. Primò: Si privilegium per legem latam revocetur, illa publicatio revocationis privilegii requiritur, quæ necessaria est ad legis constitutionem. Unde sicut lex civilis publicationem sui diversam à publicatione legis canonice requirit, nimirum, ut lex civilis pro diversis provinciis Imperatoris legibus subiectis lata publicetur in earum singulis, & si pro earum una in ea sola sufficiat publicari, & expectandi duo post publicationem menses, ut effectum suum habeat; legem verò canonicam, ut obliget omnes, sufficiat publicari Romæ, & in notitiam subditorum deveniat, aut commodè devenire possit, ita quoque loquendum diversimodè de publicatione revocationis privilegii per legem civilem, & facta per legem canonicam, Suar. l. c. c. 40. à n. 1. Salaf. de LL. d. 17. f. 17. n. 80. & 82. Bonac. l. c. n. 20. Castrop. l. c. §. 5. n. 1. contra Soto L. 1. de iust. q. 1. n. 4. Medin. L. 2. q. 90. a. 4. post. §. concl. Sa v. gratia. n. 17. & alios docentes publicationem legis canonice revocantis privilegium debere fieri in qualibet diocesi, sed sine fundamento, ut inquit Castrop. dum videmus revocari privilegia ob legem contrariam Romæ solum publicatam.

2. Resp. Secundò: Revocatio privilegii privatum nimirum mandato concedentis, vel alio privilegio contrarium effectum non habet, quousque innotescat privilegiato, quia ad rectam Reipublicæ & Ecclesiæ gubernationem spectat, ut velit Princeps privilegiatos uti suis privilegiis, quousque cognoscant ea revocata, ne aliàs vellet plures actus invalidos fieri; ita Sylv. v. gratia. n. 4. Azor. L. 5. c. 12. q. 7. Suar. l. c. n. 6. Pont. l. c. n. 14. Salaf. n. 82. Bonac. l. c. Castrop. n. 2. Soto l. c. cum

communi. Hanc revocationem non necessariò faciendam per nuncium aut epistolam à revocante missam, sed sufficere, ut quocunque modo de ea certus fiat privilegiatus, docent Suar. *l. c. n. 7.* & Bonac. *l. c.* eò, quòd hic modus notitiæ ex natura rei sufficiat, & nullibi jure positivo alius modus sit præscriptus. Quòd ipsum, etsi probabile dicat Castrop. *n. 4.* probabilius tamen esse censet cum Pontio *cit. n. 14.* Sá v. *gratia, n. 1.* hanc revocationem fieri debere per rescriptum, epistolam vel nuncium ad hoc destinatum, eò, quòd revocatio privilegii non secus, ac lex ejusque revocatio debeat à revocante procedere, cum aliàs non sit publicatio authentica, & consequenter non firmet publicationem.

Quæst. 460. A quo fieri possit revocatio privilegiorum gratuitorum, onerosorum, remuneratoriorum, casu, quo revocabilia sint?

Resp. Primò: Dubium non est, fieri eam posse à successore concedentis, cum privilegium solam concedentis jurisdictionem spectet, quam eandem cum illo habet ejus successor. Possè quoque concedentem privilegium contra jus proprium validè revocare, sine legitima causa satis certum videtur ex dictis supra. Possè etiam inferiorem dispensantem, vel concedentem privilegium contra legem Superioris, quando ei indulta est potestas dispensandi, validè sine causa revocare dispensationem à se factam, censet Bonac. apud Castrop. *l. c. §. 3. n. 2.* qui ipse tamen cum Sanch. Salas. Pont. Franco, &c. probabilius censet contrarium, nimirum inferiorem sine causa validè revocare non posse dispensationem à se factam, posse autem cum causa, eò, quòd sicut inferior non potest validè concedere dispensationem in lege Superioris absque causa, ita non possit validè sine causa revocare dispensationem à se factam, cum enim ex voluntate Superioris concedentis illi potestatem dispensandi operetur, non est, unde colligatur, voluntatem Superioris esse, ut sine causa validè revocet dispensationem à se factam, cum tamen absque causa non possit concedere dispensationem. Sic itaque non poterit Episcopus revocare dispensationem à se factam parochi ad non residendum, aut ad differendum Ordines ratione studii, quia est dispensatio in lege Superioris, quam, postquam dispensavit in ea, denuò stabilire, seu ejus obligationem reducere non potest.

2. Resp. Secundò: Tamen si Papa revocare possit dispensationem factam ab inferiore Prælate vi collatæ ei potestatis dispensandi ab ejus Superiore, quia cum omnis jurisdictio pendeat à Papa, is potest denuò ablatam legem & obligationem imponere, & subditum ab alio exemptum eidem rursus subijcere. Superior tamen alius inferioris Prælati non videtur ab eo datam dispensationem revocare posse, quia injustum videtur privare inferiorem usu suæ jurisdictionis ordinariæ; ita Sanch. *cit. d. 33. n. 7.* Suar. *de LL. c. 37. n. 17. in fine.* Pont. *l. c. n. 15. in fine.* Castrop. *l. c. n. 5.*

Quæst. 461. Privilegia vivæ vocis oraculo, quæ dicantur, cujus valoris, an & quæ revocata?

1. Resp. Ad primum: Sunt privilegia, quæ Pontifex vel Princeps solâ voce seu ore tenus concedit, quamvis subinde, ut pro foro ex-

terno probari & practicari valeant, postmodum in scriptum redigantur, & testimonio authentico ab iis, quibus incumbit ex officio, fide digna reddantur. Reiffenst. cum communi, *h. t. n. 194.*

2. Resp. Ad secundum: Gratiæ & privilegia vivæ vocis oraculo concessa sunt ejusdem valoris pro foro interno, cujus sunt concessa in scriptis, *c. institutionis. 25. q. 2.* ad essentiam enim & substantiam privilegii, adeoque nec ad vim & efficaciam privilegii requiritur scriptura juxta dicta supra; pro foro tamen externo, ut valeant practicari, non sufficit ore tenus solum concessa, sed insuper requiritur, ut testimonio authentico, adeoque in scripto eorum concessio probetur, juxta *Reg. Cancellar. 57.*

3. Resp. Ad tertium primò: Omnia & singula privilegia quibuscunque Capitulis, Collegiis, Ordinibus vel personis eorum à quocunque tandem Pontifice usque ad Urban. VIII. vivæ vocis oraculo concessa hodie pro utroque foro sunt revocata, ita, ut nec in foro interno, nec externo iis privilegiis liceat amplius uti, etsi ad supplicationem Regum sint concessa, ac de iisdem verè concessis Cardinales propriâ manu scriptum testimonium ferant, nisi per Officiales & ministros illos, quibus incumbit ratione officii gratis, privilegiis & favoribus per Pontifices vivæ vocis oraculo concessis, aut impostum concedendis fidem facere & authenticare, quibus proinde fides haberi solet & debet, sint authenticata; ita verbotenus Reiffenst. *num. 152.* testans, hanc esse hodie communem & certam sententiam ob claras & expressas revocationes factas à Gregorio XV. & Urbano VIII. cujus prioris Constitutio incipit: *Romanus Pontifex in specula;* estque illius, *27.* & habetur *Tom. 3. Bullar. Cherubin,* quam etiam ad folum recitat Reiffenst. *n. 153.* in qua Constitutione, tamen si contrarium paulò antè dictis habeatur, dum expressè excipiuntur privilegia vivæ vocis oracula concessa ad supplicationem Regum, nec non illa, de quorum concessione Cardinales in scriptis testimonium ferunt, hodie tamen & hæc non amplius valent, eò, quòd Urban. VIII. in Constitutione sua, quæ incipit: *Aliàs felices recordationis Gregor. XV.* estque illius *21.* in *Bullar. Cherub.* illa quoque revocavit hæc expressis: *Omnia & singula vivæ vocis oraculo, S. R. E. Cardinalium quorumcunque manu firmata &c. quibuscunque etiam intuitu, contemplatione, ad instantiam Regum & Principum quorumcunque, cassamus & annullamus &c.*

4. Resp. Ad tertium secundò: Privilegia illa vivæ vocis oraculo, quæ per dictos Officiales & Ministros authenticata non sunt revocata, sed omnia & singula à quocunque Pontifice concessa, in utroque foro adhuc valent, validèque ac licitè practicari possunt, prout declaravit Urbanus VIII. in Constitutione sua, quæ etiam incipit: *Aliàs felices recordationis;* quatuor annis post præcedentem ejus Constitutionem edita, illius *141.* in *Bullar.* cujus verba refert Reiffenst. *n. 156.* circa quæ notanda sequentia. Primò: quod inter dictos Ministros & Officiales esse quoque possint Cardinales, adeoque licet absolute loquendo Cardinalis cujuscunque testimonium de privilegio vivæ vocis oraculo concessio non sufficiat pro valore illius, sufficiat tamen, si alicui Cardinali, ut de illo testetur, commissum specialiter, vel si sit protector Ordinis, de cujus privilegio testatur, quia etiam tali ex officio ei à Pontifice commissio incumbit de iis saltem, quæ talem Ordinem concernunt, testari, ita Reiffenst. *n. 157.* cum Donato *Tom. 1. p. 1. tr. 16. q. 12.* Secundò: idem